



MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS
TEL:02/734 55 42

ānnūm nōvūm fāustūm fēlicēm

Cum ad ultimum anni diem pervenimus, solemus nosmet interrogare quid boni, intra unum annum, pro Latinitate Viva fecerimus et semper dolemus quod multo pauciora effecimus quam voluimus. Nam, sicut plerique nostri rei fautores, ceteris necessariis muneribus tam obruimur ut singulis septimanis vix unum diem in Latinitatis Vivae curis consumere possimus.

Attamen de nonnullis progressibus licet gaudeamus. Per televisionem frequentiores facti sunt homines, qui scirent Latinitatem Vivam exstare. Multitudo certe nondum intellegit quo tendat hic motus, diurnarii tamen, quos convenimus, rem ineptam non existimant quamquam de successu facere non possunt quin dubitent. Multas quaestiones ponere solent inter quas instanter duas :

- quibus Latinis verbis exprimuntur notiones vel inventiones recentiores ?
- quot sunt Latinitatis Vivae fautores ?

Credibilis nondum factus est Motus Latinitatis Vivae, quia his quaestionibus post triginta annos responsa nimis timida tantum afferre potest.

Quare Fundatio Melissa, quae superiore anno legaliter condita est, ad has res curandas imprimis operam dabit.

Coeppimus homines allicere, ut Foundationis adsocii fierent; gratias agimus eis qui adsocii iam facti sunt; inter quos etiam numerantur longinqui extranei.

Constanti adnisi efficiamus oportet ut in dies augeatur adsociorum numerus, e quo pendent et Latinitatis Vivae pondus et necessariarum copiarum amplitudo.


Notiores vel praestantiores homines etiam rogamus ut "Foundationis Melissa Patroni" fiant, quorum indicem divulgabimus.

Alteri quaestioni quoque respondere conabimur. Statim ac superiore anno nobis in promptu fuit ordinatum, programma aptandum curavimus ad lexica usualia conficienda. Quo genere ordinari fieri potest ut vocabula Latina condantur, et impressorio edantur, omnibus signis longitudinis vocalium et accentus tonici praedita. Cuius rei exemplum in titulo huius scripti praebet. Multa alia mirabilia effici possunt hęc tantum parva machinā, cui nomen Apple Macintosh; nonnulla specimina hic exhibentur :

Οὕτως γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν τὸν

בראשית 1 | בראשית: ברא אלהים את השמים ואת הארץ

東京大学の山本先生へ、



Quae sint vocabula seligenda ad res novas designandas perpendemus in artissima coniunctione cum officina lexicographica Societatis Latinae Saravipontanae.

In vocabulis fingendis, restricte respiciuntur regulae iam primo conventu Avemionensi a Professore Guerino Pacitti dilucide expositae, quas ante lectorum oculos in pagina decima numeri 13¹ *Melissae* posuimus. D^f P.C. Eichenseer, litteris die 5^o m. Oct. a^o 1986^o missis, ubi de nostro opere lexicographico tractat, scribit haec: "Sed plurimum videtur monendum esse, ut in neologismis necessario convenienterque confingendis non solum verba unius linguae vernaculae respiciantur, sed omnes linguae Romanicae, unde id assumatur et supponatur verbum quaesitum, cuius stirps Latinitati est propinquior magisque cognata. Insuper necessario respiciatur proprietas Latina, ubi verbi gratia substantiva verbalia, quae exeunt in -tör vel -trix, personalia sunt, non instrumentalia, cum substantiva instrumentalia desinant in -tröm (vel similiter, cfr. *LATINIT.* 29 (1981) pp. 171-184, *VOX LAT.* 17 (1981) pp. 22-33).

Hoc si non fecerimus, id est: si non cunctas linguas Romanicas et Anglicam, ubi multa Latina insunt, respexerimus, mox in "nationalismos" Latinos perniciose prolabemur. Haec talisque monitio etiam atque etiam eis est inculcanda, qui neologismos confingunt".

Si de quodam neologismo surgit controversia, hanc in *Melissa* patefacimus, ut post disputationem ad omnium consensum perveniat. Sic, quantum fieri potest, satisfacimus Vidonis Angelino monito, in epistula die 22^o m. Dec. a^o 1986^o allato:

"De creatione autem neologismorum, optimum sit si existat consensus doctorum, quorum unus vel duo sint angli, hispani, galli, itali, theodisci, qui simul interdum congregentur et statuunt, per comparisonem, quinam sint neologismi praeferendi.

At hoc est facile factu; ergo unusquisque latinista fingat, pro sua scientia, neologismos, inde eos ponat in circulum; selectio darwiniana postea eliget neologismos qui rectius et concinnius sapiant et resonent linguam Latinam, et reiciet eos qui apparebunt aliquatenus vitiosi".

In ordinatio etiam conditur singulorum vocabulorum Latinorum translatio in sex linguas Europaeas, quae sunt Anglica, Francogallica, Hispanica, Italica, Nederlandica et Theodisca; quod fieri potest auxilio benigne allato a sodalibus regionum diversarum.

Propositum nostrum est lexica bilingua usualia, latino-vernacula vel vernacula-latina, quam citissime in lucem edere.

Breve sequitur exemplum:

autöräedä,ae,f.	Auto
démarreur	Yncitätörüm,t,n.
bänzínüm,t,n.	gasolina
carrozzeria	plöxänüm,t,n.
bócínä,ae,f.	klaxon
Vergaser	gäsiffcätörüm,t,n.
avlon	aeröplänüm,t,n.
aerödrömüs,t,m.	runway
razzo	röchétä,ae,f.
äströnäutä,ae,m.	Astronaut

In fine nuntiandum est nobis nunc praesto esse instrumenta magnetoscopica, quibus imagines mobiles et sonos recipere possumus. Quorum instrumentorum genus est recentissimum, nomine "8 mm"; videocasetae 8 mm, quamvis multo minores quam ceterae, imagines clariores restituunt. Hoc novo genere "8 mm" scaenae etiam accuratius dissecari et facilius permutari possunt. Nobis etiam est facultas has imagines in videocasetas genere V.H.S. transferendi. Quibus instrumentis, videocasetas sequitur p.3

EX FINNIA MODO COMPERIMUS...

Litteris a Thoma Pekkanen, die 7^o m. Ian. datis, hic nuntius nobis modo allatus est:

SUMMUS PONTIFEX KALEVALAM LATINAM ACCEPIT.

Iohannes Paulus II, Pontifex Maximus, die 14^o mensis Ianuarii in Civitate Vaticana delegationem Finno-rom admittit, qui illi carmen epicum, cui Kalevala est nomen, nuperrime ex Finnica lingua in Latinam versum, et numisma argenteum anniversarii CL Kalevalani donaverunt. Ex parte Finno-rom adfuerunt legatus Finlandiae apud Sanctam Sedem Kaarlo Yrjö-Koskinen, princeps cancellarius Ministerii Publicae Instructionis Finlandiae Jaakko Numminen, Professor Väinö Kaukonen, qui de rebus ad Kalevalam pertinentibus maximam hodie habet auctoritatem, professor Tuomo Pekkanen, Kalevalae translator.

Jaakko Numminen Summo Pontifici haec verba Latina dixit:

"Scimus Te, Beatissime Pater, favore et benevolentia cultum Latinitatis prosequi nec non optare, ut lingua Latina viva atque universalis inter homines sermone diversos unitatis vinculum maneat. (Opus fundatum Latinitas a. MCMLXXX, Lib. I p. 3)

In Finno-rom patriam litterae Latinae una cum religione Christiana duodecimo saeculo allatae sunt. Usque ad hodiernum diem linguae Latinae usus in nostris scholis viguit et in Academia Finno-rom Aboensi et in Universitate Helsingiensi multa milia dissertationum Latine sunt composita. Neque Musae Latinae nostratibus alienae fuerunt. Iam Medio Aevo, post allatam nobis Christianam doctrinam, clerici nostri cantiones ecclesiasticas etiam a semet ipsis Latine scriptas canere solebant. Postea poesis Latina apud homines humanis artibus excultos vivere perrexit et adhuc vivit. Hodierno tempore apparet manifesto numerum eorum, qui linguae Latinae student, in patria nostra crescere et augescere: litterae Latinae in plus minus centum viginti Finno-rom scholis et in sex universitatibus docentur, licet eloquium Latinum vivum inter fines circumscriptos remanserit.

Populares tamen nostri iam ab antiquissimis temporibus lingua vulgari carmina componere et cantare et viva voce posteris tradere sciebant. Poesis Finno-rom popularis abhinc duo saecula litteris mandari coepta est et ex ea exstitit Kalevala, carmen epicum, cuius anniversarium centesimum quinquagesimum anno MCMLXXXV celebravimus. Kalevala, quam Elias Lönnrot composuit, poema in litteris Europaeis sui generis, carmen universale et cosmologicum, in duodeviginti linguis est translatum et his ipsis temporibus complures novae versiones praeparantur.

Ut epos nostrae nationis digne celebraremus, curavimus, ut tota Kalevala in perpetuam anniversarii supra dicti memoriam Latine redderetur. Ita Latinitatis facem in Finlandia tollere volumus, ut ex nostra quoque patria eius ignis ad pacem et humanitatem promovendam omnibus gentibus illucesceret.

sequitur p.3

DE PRONUNTIATU LATINO.

Ante nonnullas septimanas, die 8^o m. decembris, in studiorum universitate Saravipontana, Professor Maximilianus Mangold, phoneticus, acroasin Latinam fecit, cui titulus "De pronuntiatu Latino".

Hanc acroasin mihi licuit auscultare, quam, rogante D^{re} P. C. Eichenseer, totam in videocasetam recepi.

In initio, nonnulla scitu digna -et mihi ignota- de phoneticis scientificae initiis narravit orator; deinde, exempla attulit diversarum pronuntiationum Latinarum et demonstravit, ore vel magnetophono, quales eae fuissent in variis regionibus ineunte XX^o saeculo, quomodo postea paulatim mutatae essent, necnon quales hodie sonarent.

Nulla re homines magis delectantur quam auditione verborum, quae eorum auribus exotice resonant. Non mirum ergo si saepius inter acroasin auditorum risus factus est, neque mirum si non semper iidem riserunt, cum singularum nationum phoneticae singularitates ostenderentur.


Orator ipse videtur esse homo parum ad locandum promptus; potius colit obiectivitatem scientificam.

Pronuntiatu Latino studet inter multos alios et tantum curat ut soni Latini quam rectissime restituantur et secundum phoneticas inventa accurate pronuntientur. Cum exemplum perfectum ostendere vult, omnes syllabas lente et distincte profert, unde fit ut eius elocutio saepe habeatur nimis mechanica, non satis humana. Sed hoc pendet ab ipso oratoris scopo. Certe nimis fastidiosum esset, si omnes Latine loquentes hoc modo dicendi uterentur.

Exemplis allatis dilucide monstravit quantum mutatae essent pronuntiationes regionales ab initio XXⁱ saeculi. Verbi gratia, Anglorum vel Francogallorum verba Latina ineunte saeculo ab ipsis solis intellegi poterant. Hodie tamen Francogalli et Angli, qui pronuntiatum restitutum respiciunt, satis bene a ceteris intelleguntur, id quod ipse saepius expertus sum.

Eo facilius inter se intellegent homines ex diversis regionibus oriundi, quo accuratius omnes phoneticas Latinae proprietates respicient, id est etiam longitudinem syllabarum et accentum tonicum. Sic, scientia phonetica pacem instituet inter omnes pronuntiatos regionales traditos, necnon inter philologos puristas et fautores Latinitatis Vivae.

Hac in re tamen, meo sensu, nihil prodest etiam litteras Graecas eodem modo pronuntiare velle, quo a Graecis antiquis pronuntiabantur. X Praecipue littera ϕ (ph), usitatissima in vocabulis scientificis, quibus cottidie utuntur omnes coevi nostri (e.g. photographare), in omnibus linguis hodiernis eodem modo pronuntiat, id est sicut littera f. Sonus aspiratus litterae ϕ non est sonus



vere Latinus et iam Pompeis in inscriptionibus invenitur vocabulum Graecum $\Delta\acute{\alpha}\phi\eta$ Latine Dafne scriptum.

Etiamsi omnes Latine loquentes pronuntiatum Latinum restitutum quam optime exercent, semper percipientur colores regionales, sicut quoque patet in linguis modernis. In ipsius Professoris Mangold sermone Francogallico, quamvis sit optimus necnon accentu Parisino tinctus, auribus Francogallicis percipitur aliquid exotici.

Ad summam non tantum ingentem linguarum scientiam Professoris Mangold admiratus sum; sed etiam eius oris eximiam habilitatem in phonematibus quam diversissimis pronuntiantis.

G. Licoppe.

ānnūm nōvūm

faustūm fēlicēm

initium p 2

V.H.S. pelliculae cinematographicae Rudentis nunc ipsi conficere possumus; quare earum pretium multum minuire potuimus.

Melissae lectoribus necnon cunctis Latinitatis Vivae fautoribus annum novum faustum felicemque exoptamus. In dies prosperior fiat Latinitas Viva!

Gaius LICOPPE.

SUMMUS PONTIFEX KALEVALAM LATINAM ACCEPIT.

initium p. 2

Petimus, Beatissime Pater, ut Kalevalam Latinam et numisma argenteum anniversarii centesimi quinquagesimi Kalevalani a nobis accipere digneris."

Inter audientiam Kaarlo Yrjö-Koskinen Ioanni Paulo II epistolam privatam a Praesidente Rei Publicae Finlandiae Mauno Koivisto missam mandavit.

CLEMENS DESESSARD

DIANAE LICOPPE CUM CLEMENTE DESESSARD DIALOGUS

1. UBI ET QUANDO NATUS ES ?

Natus sum TELONE MARTIO (F-83000 TOULON) die 31^o mensis Julii anno 1920^o.

2. UBI STUDIA SECUNDARIA FECISTI ? PLACUITNE TIBI LINGUA LATINA JAM IN SCHOLA?

Lyceum

Studia secundaria in Lycaeo Telonensi perfecti. Illo tempore scientiae physicae, geographia, geologia, multo magis mihi placebant quam litterae et historia. Linguas tamen Latinam et Graecam non omnino oderam : res curiosae videbantur, fortasse propter 3ⁱⁱ anni (Gall. 4^{ae} classis) professorem, senem jucundissimum, qui nonnumquam sententias ridiculas, sed nullo modo impertinentes, nobis Latine aut Graece Stentoris voce clamabat. Earum vestigia in mente mea semper manserunt, unde fit ut linguae Latinae, etiamsi eam multis annis neglexerim, numquam omnino oblitus sim.

3. QUIBUS REBUS STUDUISTI POST SCHOLAM? QUIBUS MUNERIBUS FUNCTUS ES? QUID EGISTI TEMPORE SECUNDI BELLI MUNDANI?

Post Lycaeam, in Schola Classis Aëriae (Gall. Ecole de l'Air) artes navigatoriam et gubernatoriam, simul ac disciplinam militarem, anno 1939^o exeunte, discere incepti. Sed anni 1940ⁱ clades omnia perturbavit. Mense tamen decembri in turmam aëriam (Groupe de Bombardement 2/32), quae prope urbem AGADIR, in MAROCCIO, collocata erat, missus sum. Ibi, sub "Indutiarum" condicionibus, duos annos militavimus. Quare, anno 1942^o, mense novembri, die 8^o, cum Americani in Africam Septentrionales appulerunt, adversus eos pugnare debuimus. Sed illa trium dierum pugna, quae symbolica esse debuerit, cito conclusa est a Praefecto Classis Francisco DARLAN -qui paulo post per conjurationem quamdam nimis "Gallicanam" trucidatus est- sed haec est alia fabella!

Unde fit ut exercitus Francogallicus, qui in Africa erat, cum Britannis et Americanis adversus Germanos iterum bellaverit. Anno 1943^o, ut navigator missus sum in turmam aëriam quae prope Eboracum operabatur (Bombing Command 347th Squadron) atque ejus aëronaves quadrimotoriae (Halifaciae dictae) annis 1944-1945 pyrobola innumerabilia super Germaniam conjecerunt.

Post bellum, artem gubernatoriam iterum didici, at deinde, annis 1946-1947, in Instituto Polytechnico Gratianopolitano, artem radioelectricam -unde titulus meus Machinatoris I.R.G. (Ingeniarius radiotechnicus Gratianopolitanus). Usque ad annum 1966^{um} variis muneribus -aëronauticis, technicis, administrativis- in Classe Aëria functus sum. Annis autem 1967-1982 machinator fui civilis in Societatis Nationalis Aërospecialis officina Canensi. At nunc horum amborum munerum sum rude donatus!

4. A QUO TEMPORE LINGUA LATINA TIBI NECESSARIA VISA EST AD EUROPAM CONFOEDERANDAM? QUIBUS COGITATIONIBUS HUC PERVENISTI?

Belli commutationes, virorum politicorum mendacia, morumque depravatio, historiae conceptionem nationalem dubiam esse paulatim mihi demonstraverunt. Exempli gratia, cum annis 1943-1945, certo modo Britannus interim factus sum, stupiditatem belli quod Centenorum Annorum (1337-1453) dicitur non animadvertere non poteram. Itaque, annis 1950^o et sequentibus, Europae coadunationem, quae a viris Roberto SCHUMAN, Conrado ADENAUER, Alcide DE GASPERI, Paulo Henrico Carolo SPAAK nonnullisque aliis, jam adumbrata est, toto corde optavi. Eodem tempore, tum per artis radioelectricae pathologiam seu parasitologiam, cujus aerumnas technicas in officiis meis ignorare non potui, cum per artem informaticam, quae tunc erat in cunis, communicationis momentum, et inde linguae communis necessitatem -in verbi sensu latissimo- novo modo perspicere incepti. Praeterea, liberorum nostrorum studiis incitantibus methodoque "MENTOR LATIN" nuncupata adjuvante (1), linguam Latinam aliud esse ac gymnasium ad asinos sapientes instituendos tantum idoneum paulatim suspicatus sum.

Sed harum notionum nonnullarumque aliarum, quae plures annos separatim in mente mea progressae sunt, synthesis subito facta est post casum improvisum stupidissimum ... aut a Divina Providentia concitatum. Crure enim nartandi causa fracto, in sex hebdomadarum immobilitatem reductus sum, et nihil melius inventi, ad otium istum necessarium gerendum, quam fabulam nubeculatam (TINTINII PERICULUM : DE RACHAMI RUBRI THESAURO) (2), in Latinum vertere. Hoc sine magna difficultate confecto, linguam Latinam veram esse linguam, id est quae etiam nunc vigere potest, tandem intellexi.

Paulo post, nuntium, casu quoque lectum, quod de Consociatione VITA LATINA creanda deque ejusdem nominis Commentariis edendis tractabat, elucubrationes meas solitarias quasi per miraculum confirmavit. Illius Consociationis illorumque Commentariorum lector cito factus sum, et hinc inceptit vita nova mea Romana.

5. CUR ET QUANDO STATUISTI METHODUM ASSIMIL LATINAM CONSCRIBERE ? QUIBUS RATIONIBUS HOC PERFECISTI? QUANTUS FUT SUCCESSUS ILLIUS METHODI ?

Periculum quoque methodi ASSIMIL ex eventuum praecedentium nonnullorumque aliorum synthesis ortum est.

Anno 1954^o, cum aliis Classis Aëriae centurionibus decurionibusque, linguam Russicam methodo ASSIMIL discere ausus sum. Uno mense

exacto, id est viginti brevibus lectionibus peractis, non solum Russice balbutire -libri sententias simplicissimis ad usum nostrum adaptatis utendo- sed etiam fabellam imaginibus ornatam ad Russicorum puerorum usum legere et haud male intellegere potuimus. At lingua Russica, cujus declinatio sex utitur casibus, simili est difficultate ac Latina. Unde fit ut, in eis quae ad usum activum pertineant, plura uno mense methodo illa de lingua Russica quam sex annis in Lycaeo de lingua Latina didicerimus. Sed hoc multo serius definite intellexi.

Anno 1958°, VITAE LATINAE Primi Conventus Acta emi, in quibus haec legere potui:

"... quod nihil obstat quominus methodus "Assimil" quae dicitur adhibeatur..."(3)

Sed tunc de hoc voto non multum curavi, quia rem tam inauditam non esse meam credidi. Quae tamen anno 1963° ex ima memoria resurgit. Septem annis post vota Avennica (1956) emissa, praeter CURSUM POLYGLOPHNICUM C.C.C. (4) - qui maxime laudendus est sed ad Hispanorum usum confectus- nondum aderat ulla methodus cum voto supradicto congruens. Quod cum animadverti, Editoribus "Assimil" de illa deficientia scribere non dubitavi. Qui, argumentis vix incredibilibus tacti, me convocaverunt. De re disputavimus et, paulo post, primam lectionum adumbrationem eis proposui, quae cum rationibus methodi ab Alphonso CHEREL elaboratae satis congruere visa est. Nihil aliud ab editoribus quaerens quam illam symbolicam assentionem, tres annos opus perfecti.

Fortuna audaciam illam quasi insanam juvit, quia nescius viam ad talem methodum elaborandam idoneam casu inveni. Novo enim modo linguam Latinam didici: lectionum sequentiam adumbrando, adumbrationem emendandam ad correctores duos mittendo, mendarum synthesis componendo, lectiones emendatas rescribendo, easdem ad correctores probandas remittendo, et deinceps usque ad textum prelo impressum acceptabilem.

Providentia etiam magis mihi favit quia illi correctores duo, Pater Basilius HYPEAU, O.S.B. et Orestes BADELLINO, egregius Professor et Lexicographus Taurinensis, et amicissimi, et patientissimi et optimi erant latinistae. Sine eis opus numquam in lucem editum esset.

Liber impressus est Lutetiae Parisiorum anno 1966° mense martio, disci autem elaborati sunt Massiliae ejusdem anni mense maji. Libri prima editio (20000) cito exhausta est et, inter annos 1966-1985, 60000 exemplaria edita sunt. In summa, methodi successus major fuit quam exspectavimus.

6. QUID ALII PRO LATINITATE VIVA EGISTI?

Epistulas varias minoraque documenta (e.g. DE PROVINCIA ROMANA in 16 paginis) scripsi, orationes plures in Conventibus Latinis pronuntiavi et scripta non Latina, sed ad Latinitatem propagandam et ad Europam coadunandam nitentia, quorum tamen nullum usque ad nunc editum est, tantum adumbravi.

7. QUOMODO FACTUM EST UT FERIAS LATINAS ORDINARES IN PROVINCIA?

Anno 1982° in VOCIS LATINAE fasciculo 69° (pp. 374-375 : DE SUTBERTIANIS "FERIIS LATINIS" TINIACENSIBUS) haec legi:

"... de similibus feriis Latinis futuris consulatum est ... mense septembri (anni 1984^h) in Gallia meridionali in urbe Hyères..."

Cum Telonensis sum, atque ita haec urbs - quae a domicilio meo chiliometris tantum centenis distat- mihi est notissima, curiositate motus, Patri Sulberto, quocum in Conventu Treverico jam collocutus sum, ut plura scirem scripsi. Responso benignissimo accepto, ei adjutricique ejus auxilium aliquantulum praebui, quod non omnino inutile fuit. Ad Ferias igitur sequentes in Provincia ordinandas partem meam iterum agere licuit.

8. QUID, TUO SENSU, FACIENDUM EST AD LATINITATEM VIVAM LATIUS DIVULGANDAM INTER COAEVOS NOSTROS?

Haec est vastissima quaestio, quam variis in locis (vid. sup. Q.6) tractare incepti et quam exhaustire fortasse numquam mihi licebit. Hujus primam approximationem novisse poteris, communicationes meas- vel Imperitas- in Conventuum Latinorum Actis legendo:

1° In Conventu Argentoratensi: *Non sufficit Latrum sermonem inter doctos communem esse* (5). Hoc evidens est, quod tamen nimis docti percipere nequeunt aut nolunt. Lingua enim nostra nisi in variis classibus socialibus progredietur, non solum in eisdem classibus, sed etiam in doctorum classe, necessario regredietur.

2° In Conventu Avennico altero: *Quid nobis agendum sit ad linguam Latinam propagandam* (6). Ante omnia, infirmitates nostras novisse et curare debemus, quarum praecipua "cum linguae perfectione conjungitur. Opifices enim, qui instrumentum maxime perfectum in manibus habent, nonnumquam perfectione illa ita capiuntur ut ad instrumentum per seipsum utendum magis fiant proni quam ad opus vere utile efficiendum."

Deinde mundum realem hodiernum intellegere debemus. In mundo tandem reali illo, philosophiae quantum fieri possit certae et perenni nitentes, pro veritate et bono publico firmiter pugnare debemus.

3° In Conventu Melitensi: *De documentis ad sermonem Latrum fovendum* (7) *necessariis*. In pugna pro Latinitate milites nostri sunt documenta illa. Oportet igitur ut ea ordinatim creemus, instruamus, incitemus. Tabulae huic communicationi adjunctae quot nobis adhuc desunt milites satis demonstrant. Desperare tamen non debemus, quia tabularum cellulae, quae tunc vacuae erant, nunc impleri incipiunt: e.g. in cellula "de documentis audio-visualibus delectoris", nunc adest optimus miles, qui RUDENS vocatur. Sed imprimis oportet ut cellulae, ubi exspectanda sunt documenta stimulatoria seu apologetica variis linguis nationalibus vel vernaculis scripta, cito impleantur. Quae enim documenta nobis maxime necessaria erunt ad novos propugnatores, non solum scholasticos, sed etiam laicos vel plebeos, supplendos, sine quibus nunquam vincere poterimus.

4° In Conventu Palensi : *De Imperio Augustiano cum Christianismo arte nuntiatoria conjuncto.* (8) Haec est adumbratio synthesis maxime notionum politicarum linguisticarum metaphysicarum quae a me optima videntur. Sed plane intellego nec ullo modo stomachor alios aliter sentire posse. Qui tamen philosophiam hanc vituperent meliora praebeant !

9. *QUID CENSES DE HODIERNO STATU LINGVAE LATINAE IN ECCLESIA CATHOLICA ROMANA?*

Nondum omnia tibi dixi de synthesis quae anno 1957° in mente mea facta est et quae in documento praecedenti Palensi quam brevissime adumbrata est.

Anno quoque illo 1957°, christianismus meus, qui antea valde incertus erat, tandem firmatus est, mirabile dictu, propter Sancti Augustini *CONFSSIONES Latine* lectas. Unde fit ut Missam Latinam primum novis auribus audiverim. In ecclesiis enim catholicis, ante Concilium Vaticanum Alterum, lingua Latina, vel haud optime prolata, tamen vigeat : in omnibus mundi partibus, homines bonae voluntatis se ejusdem Patriae Supernae filios esse toto corde credere poterant.

Nunc, non solum propter linguarum diversitatem, sed etiam propter Sanctae Scripturae traductionum divergentiam, quot idiomata sunt usurpata, tot adsunt haereses nationalisticae, regionales, ne dicam parochiales.

Unde fit ut Ecclesia Catholica Romana, si in ista unitatis dissolvandae via pessima pergeret, ad perniciem rueret ipsa et, per pravi exempli vim, ceteras quoque Ecclesias Christianas in cursu lethali adtraheret.

Hoc maxime deplorandum esset, ipso tempore quo Israëlitae et Mahometani linguarum suarum sacrarum progressionem acerrime stimulant.

10. *SUNTNE, TUO SENSU, VIRI POLITICI IN FRANCOGALLIA ET EUROPA, QUI HODIE LATINITATI VIVAE FAVERE POSSINT?*

Nihil boni a viris politicis vel Francogallis, exspectare debemus, nisi eos ad rectam conceptionem Europae Latinae convertamus. Istorum enim plerique Europae vere coadunatae,

ergo simpliciori, ergo ubi praecepta demagogica - sicut "*divide ut regnes*" - minimum habent locum, intimo corde suo depravato non repugnare non possunt. Sed, cum demagogi viri non sunt perfecte logici, propter causa varias deficientes, eidem, volentes nolentes, casu Europae Latinae favere possunt. Exempli gratia, etiam Carolo XI° Parisiis regnante, institutionum Europaeorum progressus non fuit, sicut timendum erat, omnino jugulatus. At Europa, etiam non Latina, propior est Europae Latinae quam nationalismus caecus.

Praeterea, etiamnunc fieri potest ut non desint boni principes vel boni ministri qui bonum publicum non omnino spernant. Sed in dubio, primum oportet ut nosipsi, nullum auxilium alienum exspectantes, pugnare sciamus et velimus.

ADNOTATIONES

1. MENTOR LATIN, Edition des Mentors, 6, avenue Odette, NOGENT SUR MARNE.

2. Hergé. LE TRESOR DE RACKHAM LE ROUGE. Ed. Casterman TOURNAI. BELGIUM.

3. PREMIER CONGRES INTERNATIONAL POUR LE LATIN VIVANT. p. 166. Ed. AUBANEL, AVIGNON.

4. POLYGLOPHONE CCC. Ed. CENTRE DE CULTURA POR CORRESPONDENCIA, Garibay, 13, Apartado 108 SAN SEBASTIAN. HISPANIA.

5. 3ème CONGRES INTERNATIONAL POUR LE LATIN VIVANT. pp. 45-48. Ed. AUBANEL, AVIGNON.

6. 4ème CONGRES INTERNATIONAL POUR LE LATIN VIVANT. pp. 191-194. Ed. AUBANEL, AVIGNON.

7. ACTA OMNIUM GENTIUM AC NATIONUM CONVENTUS LATINIS LITTERIS LINGVAEQUE FOVENDIS. pp. 402-420. Ed. MELITAE, in Aedibus Universitatis Melitensis.

8. 5ème CONGRES INTERNATIONAL POUR LE LATIN VIVANT. pp. 71-74. Ed. AUBANEL, AVIGNON.

QUID NOVI IN FUNDATIONE MELISSA.

Nobis gaudio est nuntiare fere cottidie novos sodales Fundationi Melissae asociari; sunt etiam qui ex longinquis regionibus nomen dant et contributionem mittunt v.g. ex Chilia Dominus Carracedo Contador. Eis omnibus gratias agimus et singulariter Aemilio SIMON Luxemburgensis, qui pro largitionibus suis inter MUNIFICOS ADSOCIOS numeratur.

NUNTIA EX ORBE LATINO

EX NEDERLANDIA

Epistula e regione ultrarhenana altera.

Berendus Ianus Visser lectori S.P.D.

Trahit sua quemque voluptas, genti Batavae placet patinatio. Non ea autem, ne fallaris, ei placet patinatio, quae figuris pulchris eleganter in glaciem delineandis studeat, sed Batavi itinera per duratos lacus, fossas fluvios quam longissima facere valde amant. Vix credibile est, quanta hilaritate homines cuiusque generis afficiantur, quando frigus per aliquot dies fuit tantum, ut patinatio per fossas et lacus non iam sit periculosa. Nusquam non patinatur. Viculi ignotissimi per totum annum et obscurissimi nunc multa milia incolarum urbium qui patinare volunt, hospitaliter accipiunt. In cauponis quis est qui non ius cicerum calidissimum sorbeat? Homo tempore patinationis homini non lupus sed agnus. Trones a peritis iuvantur. Batavi diebus frigidis morum suorum obliviscantur an meminerint, vix dicere ausim. Certe aliquamdiu paene civiliter se gerunt.

In rebus autem patinationis Frisia Batavis, quod est Mohametanis Mekka. Quid in glacie Frisii ipsi possint, non credit, qui non viderit. Patinos ligneos loris non ad calceos sed ad tibialia revinxisse dicuntur antiqui Frisii. Hodie hoc non iam faciunt, sed et nunc Frisii vix nati in lubricum planum glaciale ducuntur, ut discant celerrime, quod per tot saecula maiores maxima cum arte fecerint. Quid autem in Frisiam ipsa celebrius esse possit, quam iter per undecim, quae vocantur, urbes faciendum? Hoc iter fere non fit. Plerumque frigus satis diuturnum non est et glacies diu ad patinandum manet incerta, cum aqua refrigeratoria officinarum in fossas hauriri soleat et nautae quam diutissime navigare conentur. Aliquando autem, cum per diem Saturni et dominicum navigatum non est, glacies scindi non iam permittitur. Aqua refrigeratoria alio quo hauritur et navigatio intermittitur, qua de causa in magnam spem veniunt Frisii necnon alii Batavi. Saepe hac spe decipimur, sed proximo anno iter illustre revera factum est. Decem tantum milibus felicitum copia iter faciendi data est. In tesseris profectionis immoderatissime licentur infelices. Nemo nisi Batavus intellegere potest, quare ei invideantur, qui iter ducentorum chilometrorum maximo frigore saepe amplius horis quattuordecim faciant. Optime mane, immo nocte concubia ei profiscuntur, qui de victoria contendunt. Lanternis electricis semita glacialis vix illustratur et non pauci identidem cadunt, quotienscumque solea ferrea in fissuram incidit. Paulo post profiscuntur, qui non curant, quando adventant, sed id solum sperant iter a se confici posse. In singulos viginti minutos mille patinatores Leovardiam urbem Frisiae capitalem relinquunt laeti quod sibi licet corpora torquere tantum quantum vix credi possit. Num adsint spectatores rogas? Nemo non spectat! Plurimi ipsi in Frisiam ipsam se contulerunt, alii de albo televisificio oculos numquam deiciunt. In Frisia multa milia aut in aggeribus aut in pontibus stant, laudant heroides heroasque, potus calidos porrigunt, conclamant ut ei pergant patinare, qui sequitur p.13

EX FRANCOGALLIA

DE PRIMO CONGRESSU "CNARELAE"

A die vicesimo octavo mensis Octobris ad Tricesimum primus conventus "CNARELA" vel, ut melius dicam, "Cnarelæ" habitus est.

CNARELA (franco-gallice : Coordination Nationale des Associations Régionales de professeurs de langues anciennes) constat e viginti-quinque (mox viginti-sex) societatibus e diversis regionibus Franco-Galliae ortundis, quarum sodales sunt professores linguarum latinae et graecae. Societates singulae sunt dissimiles aliarum. Attamen omnes efficere volumus ut linguarum antiquarum doctrina quam fecundissima et aptissima sit huius temporis discipulis.

Ea de causa saepe inter nos convenimus, commentarios, fasciculos edimus, litteras tandem ad administratos scribimus quotiens eis, ut domino Maunaury, linguae antiquae parum "utiles" esse videntur. Sed ad primum conventum nostrum revertamur. Qua de re actum est?

Professoribus linguarum antiquarum est maximi momenti scire quomodo antiqua tempora nunc fingantur. Scriptores autem de rebus antiquis saepe tractant. Ea de ratione invitati erant Jacques Cellard, F. Fontaine, M. Kahn, D. Kircher, H. Monteilhet, N. Rouland (1), qui satis magna fama fruuntur. "Ad Bernardum Pivot" enim, auctorem praeclarissimae televisificae emissionis "Apostrophe" appellatae jam venerunt!

Die primo (hoc est martis die), colloquia de libris ab illis scriptis habita sunt. Exempli gratia quaestum est num scriptores res ita narrent ut advenerunt, cur argumenta historica eligerent, quomodo (qua mente) lectores hodierni eas fabulas acciperent.

Deinde sodales omnium societatum commentarios et libellos paedagogicos ab ipsis vel a collegis compositos vendiderunt.

Hora tandem septima et dimidia p.m., cena graeca-romana nobis data est, bona quidem, sed franco-gallicae similior quam antiquae!


Quidquid comedimus, omnes laetissimi erant quod bonum vinum rhodanense haurientes sponte sua alii cum aliis colloquebantur...

Postquam histriones excerpta fabularum milesiarum auctorum invitorum optime legerunt, in lectum ivimus.

Die altero mane aliqui collegae quid pridie colloquio cum scriptoribus dictum esset exposuerunt.

Postmeridiano tempore de rebus paedagogicis actum est. Duas horas inter se interrogaverunt illi anxii magistri num cum discipulis latine loqui deberent, quem ad finem, quomodo linguas antiquas docerent, quo pacto doctrinae latinae et graecae et aliae doctrinae (praecipue litterarum) inter se comparari possent.

Deinde projectoris et magnetoscopiis usurpandis, imagines translucidas, pelliculas ostenderunt, alius (Parisius) de "Racismo in taeniis depictis", alia (Rotomagensis) de domo Romana (latine), alius (Namnetensis) de "Aqua Romae antiquis temporibus"; Clemens Desessard vero clarissimus auctor methodi "Assimil" de latine sequitur p.11





QUIA LENO ADEMIT CISTULA MEI,
QUAM HABEBAT UBIQUE HABEBAT
QUI SUOS PARENTES NOSCERE POSSET
EAM VERETUR NE PERIERIT.



UBINAM EA FUIT CISTELLULA?



IBIDEM IN NAVI; CONCLUSIT
IPSE IN VIDULUM, NE COPIA
ESSET EI QUI SUOS PARENTES
NOSCERET.



O FACINUS IMPUDICUM! QUAM
LIBERAM ESSE OPORTEAT, SERVIRE
POSTULARE!



IAM ISTAC MAGIS USUS
FACTOST, UT EAM INTRO
CONSOLERQUE EAM, NE SIC SE EX-
CRUCIET ANIMI. NAM MULTA
PRAETER SPES SCIO MULTIS
BONA EVENISSE.



EAS. EGO QUOD MIHI
IMPERAVIT SACERDOS ID
FACIAM ATQUE AQUAM HINC
DE PROXIMO ROGABO.

CURAE DE ORDINANDA EUROPA

Doctorem Guilelmum Blum, qui in studiorum universitate Monacensi scientias politicas docet, primum convenimus inter Ludos Frisingenses; ibi enim fuit scholarcha et tractavit de doctrina rerum politicarum, qualis fuit temporibus antiquitatis et mediæ aevi. Quibus scholis cum adfuissemus, mirati sumus Professoris Blum facilitatem Latine loquendi necnon eius institutionis perspicuitatem. Quare non dubitavimus eum rogare ut pro Melissa aliquid scriberet de condicionibus politicis hodiernae Europae confederandae. Gratias et maximas agimus quod hoc scriptum ad nos misit divulgandum.

DE REBUS EUROPAE UNIENDAE POLITICIS

I

Europae continentis nomen quis ignorat sumptum esse ex Europa illa virgine, quam Iuppiter tauri specie accepta rapuisse dicitur. Europa vero illa rapta esse sibi non videbatur, sed sponte sua tauro ut vehiculo usa super maria in Cretam effugerat. Quam virginem, id quod nunc nostra interest, in Europae continente natam non esse inter omnes constat, patriam enim semper profitebatur Asiam: quae cum ita sint, Europam virginem vere coniunxisse in persona sua duos continentes confiteri licet. Graeci igitur Europam iam dixerant esse mediatrix quae inter Asiae et Europae interesset continentes, et idem nobis nunc profitendum est Europae officium: Europa esse debet mediatrix et in rebus spiritualibus et in rebus politicis.

II

Europae res gestas narrantibus nobis iam in antiquis temporibus de bellis certaminibus controversiis est dicendum. Caroli enim Magni filii terras cum inter se dividerent, inimicitiam fundaverant inter Orientem et Occidentem, inter Germaniam dico et Galliam: inimici vere et non solum hostes fuerant fratres et haec inimicitia usque ad nostrum saeculum perduratura erat. Europae reges Orienti bellum indixerant, cum terras quibus Jesus Christus mortuus erat liberare simularent: quid vero perfecerant aliud nisi dolores et lacrimas? Et in crucis quae vocabant itineribus Constantinopolis urbe polita quid aliud instituerant nisi crudele dominium?

Ut ad nostrum perveniam saeculum, quis ignorat duobus bellis taeterrimis paene omnes fuisse eversas Europae terras? Tamen memorare libet Aristidem Briand Galliae rei publicae moderatorem qui ut Europae nationes et gentes unirentur optaverat, et societatem quae "Paneuropae" nominatur fundaverat Koudenhove-Kalergi comes praeclearus. Tamen qui inter Germanos et inter ceteras gentes sequebantur illam terribilem Socialistarum Nationalium turbam secundum commoverant bellum quo toti Europae suam atrocem dominationem imponere cupiebant. Post vero Germania deleta ac victa erat: quae victoria non sine Americanorum opibus militibus politicis viris facta erat. Qua re videmus nostris temporibus et cives ceterorum continentium in rebus Europae politicis involutos esse -id quod ut modestiores sciamus confiteri cogimur.

III

Finito bello illo atroci atque devicta Germania victores tamen non omnes victoria uti cupiebant, sed Germaniam adjuvare pars victorum

volebat. Quem finem secutus Vinstonius Churchill Anglorum moderator Turici orationem habuit, qua non Germaniam totam sed Socialistas Nationales crimina et scelera perfecisse dixerat. Et mense uno post Jacobus Byrnes, secretarius rerum externarum Americanus, Stuttgartiae visionem professus est novae rei publicae in terris Europae constituendae, Unitas Res Publica Europae dixit. Quibus duobus orationibus quid effectum sit ut bene intellegamus, nobis in animis tenendum est illas habitas esse et a victoribus et in Europa paene deleta: quas orationes principium Europae unionis nominare possumus atque debemus.

Robertus Schuman culus sepulcrum in Mettensi cathedrali ecclesia situm est anno millesimo nongentesimo quinquagesimo novum inivit consilium: vir ille venerabilis qui in Lothari regno natus erat, id est in ea regione quae ut mediatrix inter Germaniam et Galliam sita est, Conrado Adenauer moderatori tunc Rei Publicae Foederalis Germaniae persuasit, ut in sola rerum oeconomicarum parte ambo collaborarent. Sic factum est, ut uno anno post "Communitas Europaea Carbonis et Ferri" instituta sit -id quod recte Europae Unitae initium appellandum est.

Temporibus illis Bellum quod vocant Frigidum inter Orientem et Occidentem iam exstiterat: Communistae enim Sovietici et Germaniae partem unam ingressi novam instituerant rem publicam quam "Rem Publicam Democraticam Germaniae" nominari iusserant et in Asiae partibus Koreanum istud atrocissimum inierant bellum. Quare Occidentis viri politici necessariam fore unionem Europae regionum et gentium non ignorabant. Quae unio ut promoveretur, "Unio Europaea Oeconomica" fundata est Romae - in illa scilicet urbe, quod caput mundi homines olim putaverant. Quibus pactibus Romanis secundus unionis gradus effectus est, et quin alii istum sequerentur gradum, dubium non erat.

IV

Nostra etiam aetate novum vidimus Europae uniendae gradum: eligere enim poterant qui Italiam Belgicam Luxemburgum Galliam Hollandiam Britanniam Germaniam Occidentalem Danimarcam inhabitant senatum vel, ut hodierno utar vocabulo, parlamentum: quae electio prima directa facta est anno millesimo nongentesimo septuagesimo nono. Quinque annis post altera electio Europaea facta est, et sexto quoque anno iterandae erunt haec electiones.

Hispania vero et Lusitania et Graecia socii iam facti sunt unionis huius, et iam Turcia (quae in Europae continente sita non est!) ut associaretur rogavit. Sic novus Europae uniendae gradus inibitur...

Sed nunc de difficultatibus quibusdam politicis narrandum : quamquam sunt permultae, tamen duae tantum commemorabuntur.

Prima igitur difficultas haec est : existit Europaeum parlamentum, sed illud parlamenti officio maximo fungi non potest. Officium enim quod maximi omnibus parlamenti est momenti est examinatio et tentatio moderatorum : quo modo autem et qua ratione parlamentarum Europaei examinantur vel tentant moderatores Europaei instituuntur quibus vere gubernacula Europae praebeantur. Quod vero quo fiat anno, nemo scit - attamen id omnibus est agendum.

Secunda difficultas consistit in egoismis nationum : pecunia enim carere se omnes cum profiteantur, semper semperque ne pecuniam praebeant, sed ut adipiscantur pecunias rogant. Quod iam saepe videbamus spectaculum tristissimum et lamentabile, et rogabant qui Europae regiones inhabitant quid viri et mulieres moderatores rerum publicarum de Europa unienda in interioribus cordibus cogitarent quidve publice perficerent. Si enim consensus communis inter Europaeos inveniri non poterit, Europa numquam erit unita, sed recidet in particularitates quas superatas iam esse speraveramus. Ideo ut egoismos nationum superent moderatores et ad unionem Europae conficiendam spectent, optant atque rogant paene omnes qui Europae partes inhabitant.

V

Causae quibus necessariam esse unionem de qua loquimur probatur haec sunt :

1) Europae continenti maxima oeconomiarum rerum inest vis : quae vis ut toti mundo praesto sit, Europae nationes sunt uniendae. Quae nisi mox fiet unio, superabitur illa vis Europae ab aliis, Nipponensibus dico et Americanis; quae unio quando perfecta erit, adiuvabit et Europam et ceteras mundi partes.

2) Quod vero maioris momenti est - res oeconomicae vere maximi momenti non sunt ! - est unio politica. Quae unio nationum integratio est appellanda : integratio aliud est atque foedus ! Quam integrationem et contra Communistas

Sovieticos eorumque diuturnam aggressionem verti nemo ignorat : dolemus permagnas Europae territorii partes a Communistis istis regi, verum hac de causa integrationem Europaeam et necessariam esse et initio sine Orientis partibus perficiendam constat (quid vero Poloniam Germaniae Orientis partem Hungariam Europae esse terras negat ?).

3) Nostro saeculo unionis spem inter multas nationes crescere sentimus : ut exemplis probemus, spectemus quae in Germania et Italia decimo nono facta sint saeculo.

Germanias in diversas partes divisa Ottone Bismarck moderante una facta est natio. Italia quoque Camillo Cavour promovente in unitatem prodiit, quae Italia a diversissimis recta erat, ab Austriacis Gallis Hispanis Germanis (et a Papa). Quare certo scimus unionem nostra aetate esse necessariam : quae unio non solum inter Europaeos, sed etiam toto in mundo videtur. In aetate enim televisionis et ut ita dicam Icarum volatibus nemo non intelligit unionem fore necessariam.

4) Europam fore rectam ab uno solo regimine cupimus : attamen restabunt regimina nationalia, sicut in America Septentrionali videmus, et praesidentem rei publicae et gubernatores quinquaginta statuum. Europam unitam volumus fore Europam foederatam, ita ut Scoti Turci Belgae Bavari suam ipsorum habent linguam instituta mores. Lingua Europaea non existet, sed sua quisque utetur lingua.

Quod vero ad linguam Europaeam pertinet, sunt qui sperent Romanorum fore illam linguam : omnia enim Latine exprimere licet atque libet ! Et facilis et amoena lingua Latina omnibus videtur, et ut vocabulum novum inferam : Europaeissima certe est lingua Latina, qua aptior nulla inveniri potest.

VI

Sic ab Europa mundus adiuvabitur, sic Europae continens exemplum sequetur Europae illius quam mediatricem fuisse inter diversas et contrarias terras narrabant Graeci. Europa enim magistra mundi fuerat et nunc ut speramus fiet mediatrix : haec visio et politica et spiritualis nobis omnibus est eritque in animis.

DE PRIMO CONGRSSU "CNARELAE

initium p.7

loquendo, qui perhumaniter non recusavit quin adesset, Rudentem pelliculam (non minus claram) obtulit. (Timeo ne culus rei oblitus sim : spero fore ut excuser !)

Omnia participes permultum delectaverunt.

Post cenam, alteri pelliculam de Spartaco (a Stanley Kubrick fictam, a Claudio Aziza professore in Universitate studiorum Sorbonensi propositam) aspicere potuerunt, alteri fabulam graecam mirabilem franco-gallice et paululum graece actam.

Ultimo die praecipuum museum de cultu Gallo-romanorum lustrare potuimus. Tandem inter nos convenimus ut minas (mortis!) institutioni linguarum antiquarum lactatas avertamus. Nam quid faciamus ?

Ut praeses Odila Mortier-Waldschmidt exposuit, administrer "noster", cum discipulos nimis laborare existimet, vult linguas antiquas, ut quasdam hodiernas, musicam, etc. minus et minus doceri !

Quod scilicet recusamus.

Num linguae antiquae discipulis solum sunt oneri ?

Et si discipuli nimis laborant, cur deligere non possint quid discant ? Cur deligere non possint doctrinam et humanam, et universalem, et necessariam, ut ei qui seminaria latinitatis vivae vel ferias latinas frequentant bene cognoverunt ?

Et si forte ab administro sic non habetur, nonne materiae sunt maximi momenti quae diligentissime et ardentissime docentur ?

Decimum iam annum permulti commentarii in tota Franco-Gallia a sodalibus Cnarelae eduntur, expositiones de rebus antiquis praeparantur, novae methodi ad linguas discendas inveniuntur, fabulae latinae et graecae aguntur.

Omnia pro nihilo ?

Nunc totis viribus efficiemus ut linguae graeca et latina doceri pergant, non ad servandum quod semper fuit, sed ut pueris omnium originum offeratur doctrina humanissima, vividissima, fecundissima.

Patricius Bougy

Cadomi, Iovis die VI° mensis Nov. 1986.

TRES LINGVAE CERTANT INTER SE

Ut possit tandem superari ille, quem Congressus avennionensis (a. 1956) appellavit "babelicum plurilinguismum" Europae, tres iam exstant linguae quae se offerant "candidatas" ad adsumendum munus linguae vehicularis Europae: neolatinum (id est latinum colloquiale, rectae et spontaneae structurae et auctum opportunis et legitimis neologismis), anglicum et esperantum.

Quandoquidem exempla trahunt, videamus quinam sit adspectus et effectus brevis allocutionis ad Delegatos europaeos, expressae tribus supra memoratis linguis:

NEOLATINUM

Honorabilissimi Delegati,

Plurilinguismus nostrarum nationum est certe grave obstaculum non solum ad assequendam unitatem Europae, sed etiam ad exsequenda vestra munera. In hoc Congressu sunt hodie necessarii varii interpretes, versiones simultaneae; varia autem decreta, quae obtineant probationem omnium, debent postea redigi in varias linguas.

Haec omnia postulant multum tempus et multam pecuniam. Nonne omnia sint multo simpliciora si existat una lingua communis, quae intellegatur ab omnibus et quae adhibeatur ab omnibus?

Talis vero lingua dedebit esse quam maxime simplex et plana et eius phonetica debebit esse quam maxime clara et definita. Talis autem lingua poterit etiam facile disci in scholis et adhiberi ab omnibus discipulis europaeis. Hoc modo exsurget tandem illa secunda optatissima lingua intereuropaea.

Nonne vobis videtur neolatinum habere omnes numeros (Cic.) ut fiat lingua intereuropaea, vel etiam lingua internationalis?

ANGLICUM

Dear Delegates,

the use of different languages in Europe does represent a heavy handicap not only for reaching the European unity, but also to fulfil your tasks. In this Parliament today are requested many interpreters and simultaneous translations; the decrees, before their approval by all of us, must be translated into the different languages.

All this work requires a lot of time and a lot of money. Would it not be easier to have only one language common to European nations? A language that could be understood and utilised by all? This language will have to be the simplest and the clearest possible and its phonetics will have to be the most distinct and precise possible. And the European students will learn and will use it as a link among them. There will be so the positive chance to have, at last, the eagery desired language for Europe.

Don't you think that English has the good qualities to become the international language or, as well, the "international speaking link"?

ESPERANTUM

Honorindaj Delegitoj,

la nacia multlingveco estas ja tre grava baro ne nur kontrau la unuigo de Europaj Nacioj, sed ankau fronte al la disvolvigo de viaj ciutagaj taskoj. Tiu ci Parlamento hodiau necesas multajn tradukistojn au samtempajn tradukadojn; fakte la diversaj dekretoj, post generala sankcio, estu skribotaj per diversaj lingvoj.

Tio ci necesas multe da tempo kaj da mono. Sendube la uzo de komuna lingvo, komprenata kaj parolata de ciuj, cion plifaciligus; cu ne?

Tiu ci lingvo estu kiel plej eble facila kaj komprenebla, gia fonetico estu kiel plej eble klara kaj preciza. Pro tio gi estos facile lernata en la lernejoj kaj uzata de ciuj europaj studentoj. Finfine ci maniere naskigos la tre dezirata komuna europa lingvo.

Cu ne sajnas al vi ke esperanto havas the gravajn eblecojn por igi europa lingvo au eble internacia lingvo?

Omnes Europaei, qui pertineant ad stirpem neo-latinam (Hispani, Lusitani, Franco-Galli, Itali, Dacoromani), utpote quorum linguae non sunt nisi evolutio ipsius linguae latinae vulgaris, cotidiana, facile inducentur ad praeferendum neolatinum propter eius planam structuram et certam ac definitam phoneticam.

At etiam Europaei alterius stirpis linguisticae non poterunt non attrahi simplici structura et certa ac definita phonetica neolatini, quae vero certitudo et definitio phoneticae minime est propria linguae anglicae, cuius immo phonetica est plena insidiarum et innumerarum exceptionum.

Si ergo ex una parte structura sive neolatini sive linguae anglicae est recta et lucida planitatis, ex altera parte duae linguae omnino differunt quoad pronuntiatum, simplicem et circumscriptum unum, plenum aleae et inconstantiae alterum.

Hoc autem adseveratur solummodo de stricto adspectu glottologico; si vero spectemus ad alium adspectum quaestionis, a fortiori apparebit seligendum neolatinum.

Ut omnibus constat, lingua non est tantum res oralis, sed est, ut ita dicam, res spiritualis quoque. Lingua cuiuslibet populi in se continet atque exprimit culturam eius; si ergo lingua anglica (vel potius americana) fiat lingua "hegemonica" Europae, sensim sine sensu in Europa diffundetur et praevalebit cultura anglo-americana, et ceterae mirabiles et diversae culturae, quas in singulis nationibus europaeis per fugam saeculorum expresserunt innumera ingenia et eventus innumeri, pedetemptim pallescent et gradatim evanescent, quod est minime optandum.

Ceterum, iam ante oculos nostros stat lucidum exemplum eiusmodi evolutionis.

Quis neget et Germaniam et Galliam et praesertim Italiam fuisse in toto orbe praeclaras propter suas melodas cantiones, quae videbantur cognoscere secretum mulcendi dulciter animos audientium?

Quid autem hodie evenit? Quotidie circumvenimur imbre cantionum quae redolent cantiones anglo-americanas, quorum elementa sunt "obsessivae" repetitiones, rythmus gymnasticus et melodiae tristae, fatuae, inertes, insulsae. Il qui dicuntur "cantauctores", sive italici sive europaei, nihil aliud appetunt quam imitari hoc genus cantionum, putantes divinum et arcanum donum creandi "melodias" hodie a fatis distributum esse "lippis et tonsoribus".

Hoc autem addam: si neolatinum tandem reviviscat ut lingua vehicularis Europae, est redditurum nos, filios Europae, idoneos ad hauriendum uberius et aptius a ditissimo et mirabili patrimonio Scriptorum romanorum, patrimonium quod mire et vere dictum est cor antiquum nostri

praesentis; contra, quaelibet alia lingua hodierna, quae fiat "hegemonica" in Europa, erit ineluctabiliter impositura cunctis Europaes eam, quam italice dicimus, "colonizzazione culturale".

Quod autem spectat ad esperantum, mihi videtur eiusmodi lingua, etsi geometrica et multae simplicitatis, esse nimis "insapora" et incolor, expers illius aromatis rei vivae, utpote lingua ficta abstracte (italice dicimus "creata a tavolino"), parum apta ad exprimentam multiplicem et subtilem activitatem intellectus.

Aliud addam : lingua "schematica", "hypersimplificata", non ideo est facilis adhibitu : nam primum, oportebit, ut fit de quaelibet lingua, discere totam eius partem "lexicalem", quae res est minime simplex : pars enim lexicalis constituit, in quaelibet lingua, partem longe praeponderantem (dicamus locose 85%, id est octoginta quinque pro centum); secundo, qui, proficiscens a sua lingua implexae structurae loquatur esperantice, debet perpetuo conflictare cum suo assueto more loquendi. Sufficiat aliquod exemplum : ante omnia, quod in esperanto omnes articuli reducuntur ad "la", quod omnia substantiva exeunt in "o", omnia adiectiva in "a", primo ad aspectu apparet "simplificatio", at revera

pugnat cum habitu loquendi e.g. cuiusdam italici, qui cogitur efficere continenter uniformitatem, ubi in sua lingua est contra difformitas.

Idem dicatur de verbis : esperantice, "skribas" valet : scribo, scribis, scribit, scribimus, scribitis, scribunt - "skribis" valet : scripsi (vel scribebam), scripsisti, scripsit, scripimus, scripsistis, scripserunt - "skribos" valet : scribam... scribent - "skribus" valet : scriberem... scriberent: ad divinandam autem rectam personam, cogitur lector accurate attendere ad pronomen vel substantivum quae regant verbum. Neque tam lucidum est vertere tempora composita (it. "ho parlato - avevo parlato - avro parlato - avrei parlato" vertuntur : "mi estas parolinta - mi estis parolinta - mi estos parolinta - mi estus parolinta").

Prope dixerim facilius esse transire a lingua implexae structurae ad aliam linguam similis implicationis, quam transire e.g. a lingua italica vel germanica ad esperantum.

Quomodocumque id est, certamen inter tres linguas est, ut hodie dicitur, "apertissimum"; certator quisque, tamquam in agone gymnastico, se gerat eleganter et motus mutua observantia erga alios; palmam consequetur qui acius et altius de quaestione cogitaverit, qui suadentius et excultius attrahet in sua castra, qui subtilius et callidius valuerit frui praesenti statu rerum.

Vido (Guido) ANGELINO

EX NEDERLANDIA...

initium p.7

ipsi quicquam aliud facere nolint. Sub duodecimam horam cum plurimi adhuc dimidiam partem itineris non perfecerunt, victor reversus Leovardiam iam triumphat. Quis miretur reginam ipsam per helicopterum advenisse ut illi triumphatori gratuletur ? Sunt multae res maximi momenti in quas animum intendere decet reginam. Sed illo die, quo iter per undecim Frisiae urbes fit, nemo est quin credat nihil in toto terrarum orbe tanti momenti esse quanti iter illud longissimum frigidissimum crudelissimum quod vocatur barbarice ELFSTEDENTOCHT.

Vale.

Data ex vico Baarnensi. Mense Dec. a. 86^l.

De Utopia Thomae Mori,


cur Latine non Anglice conscripta sit et quibus locis niterer, cum Olbiae dicerem hujus rei causam fuisse quod a paucis tantum et delectis hominibus suas opiniones politicas nosci voluisset.

Mihi primum confitendum est nusquam, ne in proemio quidem quamvis egregio quo Mori Utopiam ornavit Andreas Prevost, virorum hujus auctoris studiosorum eruditissimus, neque in epistulis a Moro vel ad Morum scriptis, me causam certam comperisse, cur ille Anglus, qui paene cetera opera sua sermone vulgari confecit, hoc solum Latine componere instituisset, adeo ut mihi videretur hujus rei causam tam perspicuam tamque manifestam fuisse illius temporis hominum animis, ut nullus locus esset dubitandi nec quaerendi. Itaque conjectura mihi facienda fuit, comparatione facta inter plerosque aequalium et amicorum Mori qui omnia opera sua Latine confecerunt et Morum ipsum. Morus enim solus (quod sciam), inter eos qui "humanistae" vocantur, duas (ut ita dicam) personas eademque diversissimas gessit : unam viri publici, nam "Vice-comes" civitatis Londiniensis erat quo tempore Utopiam edidit, paucissimis autem post annis "Cancellarius" regis Henrici VIII futurus erat, quibus muneribus fungens praebere se debebat virum gravem et prudentem, in cujus opinionibus vulgus urbis quae ei erat administranda nihil singulare vel "novum" suspicari posset, praesertim cum vix recte intellegi posset ille liber de Utopia nisi ab hominibus qui doctrinas de Re Publica optima apud auctores antiquos et imprimis apud Platonem cognovissent, quorum opera in sermones vulgares Europaeos nondum, mea quidem sententia, versa erant. Itaque Morus, dum librum suum Latine scribit, personam suam alteram, privati hominis, gessisse mihi videtur, cum pro certo haberet opiniones in libro suo expressas, sive politicas (e.g. de magistratibus et imprimis de Principe ipso eligendo, praeter paene omnium gentium et Angliae ipsius consuetudinem tunc temporis), sive morales (e.g. de euthanasia), sive sociales (e.g. de omnium civium aequabilitate), sive oeconomicas (e.g. de pecunia atque privata possessione omnino tollenda), sive religiosas (e.g. de omnibus religionibus pariter tolerandis), quas opiniones ab Hythlodaeo quodam certe non a se ipso exproptas fingit, sed tamen cum librum suum inscripserit "De optimo Reipublicae statu...", haud dubium mihi quidem videtur, quin necesse sit, quisquis candido animo atque sine respectu personae publicae auctoris hunc librum legerit, eum arbitretur conscriptum esse ab homine rerum novarum morumque novorum studiosissimo, etiamsi in extremo libro se talem Reipublicae statum optare verius quam sperare affirmat, cum pro certo haberet, inquam, has opiniones inter homines divulgatum iri primo maxime idoneos ad intellegendum quam rectissime propositum suum, secundo plerosque secum conjunctiones habentes non negotii publici sed privatae amicitiae et consuetudinis, tertio inter homines Latine peritos, ad quamcumque gentem vel nationem pertinerent, illius maximae Latinae Reipublicae cives, qui tunc temporis, antiqua sapientia freti atque futurum clarius prospicientes, humani generis agmen e tenebris ad lucem iter suum longissimum facientis, non semper uno corde sed saltem una lingua loquentes, ducebant.

Non antequam paene omnes Thomae Mori aequales mortem obiissent, et Morus ipse, ambabus personis tandem depositis, vultu aperto candidoque revelato, propter conscientiam et constantiam suam mirabilem summa injuria periisset, plus quam triginta annis post Latinam editionem, versa est demum Utopia in plerosque sermones Europaeos, quorum primus fuit Gallicus, secundus Anglicus.

Haec respondit quaestioni nostrae Georgius Andreas BERGERE.

MELISSA



LITTERARIA

謹賀新年

TACITVRNITAS

Cur latras humilis, cur ululas, ut fragilem uides
exarsisse facem pallidior, seruola Cerberi?
priuignae laqueo si pereat Terra, silentio
flerim, quae socium stultitia est arte Prometheos.
uatem nam prohibent Pierides noxia dicere et
uolgi propositum: uox hebetans usserit herbida
prata et mulctra boum. quod uireat rus Scythicum, deae
iam reddent: faueas ore, Lyce, sisque procul sacris,
quae cantare nequis delicias ad mare mitius
nostrum, nec tueris sidus aquae Cycladas, infimis
etsi scuta uirum gurgitibus mersa iacent. humi
combussit glacies ingenium, quae Stygios, tuum.

CECINIT KAL. IAN. A. V. C. MMDCCXL ARITVNEVS MIZVNO
(u.7 'prata et ...': de recitandi modo cf. Hor. Carm. 1.37.25 'ausa et ...')

〒606 京都市左京区下鴨南茶ノ木町31-3 水野有庸

ACROSTICHIS THOMAE PEKKANEN
DICATA AUCTORI KALEVALAE
LATINAE ERUDITISSIMO

Tibi referantur grates,
Heres Homeri Finnici,
O tu interpres et vates
Magni carminis epicl.
5 A te lingua Romanorum
Summa cum arte augetur

Prisca poesi Finnorum;
Et nunc a multis legetur
10 Kalevala, qui vix norant,
Kaleva quisnam fuerit.
At qui Latine ignorant
Ne iam dicant: "Quid proderit?"!
Et si Maro non allicit,
Nonne Pekkanen sufficit?

Georgius Andreas Bergère.

SEDES STUDIORUM NEOLATINORUM
UNIVERSITATIS STUDIORUM SARAVIENSIS
invitat Latine doctos ad

symposium

participandum, quod erit
de incremento linguae Latinae
post tempora humanismi facto.

Quod symposium fiet
die Veneris, 28. m. Augusti 1987,
et insequenti die Saturni, 29. 8. 87.

in oeco quodam
Universitatis studiorum Saraviensis.

Singuli universi, quorum hoc rerum et
quaestionum interest,
enixe rogantur,

ut hoc biduum sibi reseruent liberum.
Invitationes separatae cum programme
ineunte anno 1987° exhibebuntur.

Quoad quaestiones et interrogaciones:
numerus telephonicus

(49)-(0681) 302-3392
(Dr. Caelestis EICHENSEER)

Inscriptio cursualis:

Societas Latina
Universität-FR 6.3
D-6600 Saarbrücken 11.

UBI CONDISCATUR
LATINE LOQUI

SEMINARIA LATINA

Dr. P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo
seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini
usum cottidianum:

-26/7 - 1/8/1987, Morsöcr (Morschach) in
HELVETIA, qui locus saluberrimus aliquibus centum
quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est,
unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis
prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes
praebetur. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH
Aeschistr. 6
CH- 3110 Münsinge
Tel. 031/920823

-15/8 - 22/8/1987, Vestendae in BELGICA (ad litus
maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio
communi relative parvo constant. Ad quod participandum,
interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE
Av. de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/7350408

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae,
quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX
LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland.
Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel
hospitiis.

DE BRACINA HUGHARDENSI.

Die quarto mensis Octobris cum domi meae sessio mensualis Latinitatis Vivae haberetur et in hanc occasionem participes Hughardae iam essent, nobis propositum erat ut bracinam illam "De Cluys" quae non multum abest inviseremus. Ergo hora fere quinta in viam "Stoopkenstraat" -nomen plane accomodatum- transimus, ubi mystagogus nos iam exspectavit. Post aedificia lustrata multasque res de arte braciandi acceptas tandem in cafeum braciarium invitamur ut degustemus complures cervesias. Inter quam gustationem sessio nostra tanta alacritate atque eloquentia perfecta est, ut hora duodecima ultimi participes nondum domum reverti statuerent.

Talis est effectus, care lector, cervesiae Hughardensis, haecque causa eius gloriae apud populares nostros. Nam in tota regione nihil profecto invenitur quo magis gloriantur homines neve ad quod propensiores sint, ne dicam nimis dediti.

Scripta municipalia perantiqua iam anno millesimo trecentesimo duodevicesimo bracinam hic fuisse testificantur. Eaque non prima, ut opinor, erat. Nam effossiones recentes complures detegerunt villas, unde patet iam plus quam mille annis ante Romanos hic vixisse inter praeavos nostros Celticos qui, ut scimus ex P.C. Tacito, iam tum libenter cervesiam bibebant.

In primis vero a patribus spiritalibus Hughardenses artem braciandi didicere. Qui monachi ordinis "Begarden" dicti medio saeculo quinto decimo post C. natum sedem Hughardae collocantes non solum precationi agrique culturae incumbabant, sed etiam vinum atque cervesiam fabricabantur.

Salubre exemplum erant in posterum, nam anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo collegium braciarium conditum est, cuius tessera haec : (Latine verti, satis libere)

Munera quae Bacchus Junoque dedere benigne

Haec Hughardenses libare iuvat sine damno.


Cervesias braciant extractis aedibus altis

Ast etiam peragrant potantes pocula terras.

Sic crevit decursu annorum perititia braciandi pariter cum numero cervesiariorum : medio saeculo duodevicesimo Hugharda, pagus tunc temporis incolarum trium milium, triginta quinque bracinas habebat, singulas pro denis incolis cauponas et plus quam centum agricolas alicarios (i.e. qui liquorem frumentarium officinae tradebant braciandum, quo modo fere frumentum molendum curabant apud molinarium.)

Saeculum duodevicesimum quasi aevum aureum erat Hughardensibus et propter ingentem fructum sive quaestum quem ex cervesiis venditis capiebant, et quia, quamvis Brabantino inserta territorio, Hugharda antiquitus in ditione episcopi Leodiensis erat nulloque pacto vectigalis moderatoribus Brabantinis. -Hoc igitur tempus erat cum laetae erigebantur ubique villae praediaque cyclopica. Tunc etiam (re)aedificata est ecclesia Sancti Gorgonii, qua non alterum aedificium Belgicum structurae "Rococo" exstat maius.

Paulatim tamen commercium varias ob causas labescere coepit : urbes i.q. Tienae portorium imponebant, braciatores Lovanienses aemulari magis in dies incipiebant, post etiam in bello mundano utroque a Germanis omnis supplectilis



aereus auferebatur. Sic factum est ut ultima bracina Tomsin nomine anno millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo clausa sit. Hic finis putabatur illius quae plus quam mille annos Hughardae floruerat artis!

Feliciter tamen resurrexit, navitate Petri cuiusdam Celis, anno huius aevi sexagesimo quinto. Qui vir antea lactarii munere functus tamen a puero apud vicinum Tomsin artem didicerat braciandi. Quodam die cum ei consilii in mentem venit ut praeter lac etiam cervesiam, quam ipse, quae sua experientia, paravisset, venundaret, potionem concoxit cervesiale ducentarum quinquaginta litrarum, quam condidit magnis lactis lagoenis. Ad id instrumentis usus est quae ei cesserat vicinus Tomsin alique, et aquam adhibuit fontis cuiusdam, quem sine fine neve intermissione in hunc diem scatentem tot visitantes cotidie mirantur.

Hodie in officina "De Cluys" tria genera braciantur cervesiae. Quam officinam Peter Celis in annos largius exstruendam curat - ne incendium quidem quod ante biennium magnam aedificiorum partem delevit impedimento erat ne pergeret.

Primum cervesia quae vocatur "Alba" sive "Albula", iam braciatur in hac regione plus quam quadringentos annos. Medio saeculo sexto decimo Becanus quidam humanista de ea cervesia testatur nihil magis accomodatum esse quo molestiae animi curae discutiantur, quo Camoena Venusque invitentur, quod vini locum obtineat. Deinde "Fructus Prohibitus" conficitur, satis validus : octonorum centesimarum graduum alcoholis (Albula quingentorum). In pittacio lagoenarum picti sunt Adamus et Eva qui, omni vestimento relicto nudi expelluntur e paradiso, dum solum pocillum huius cervesiae asportandum sibi reservaverunt. Tandem et "Generosa" paratur, nomine Gallico "Grand Cru". Quae est optima cervesiarum ducenda omnium. Etsi satis valida (septenorum graduum) ideoque cito ad hilaritatem ducens, numquam postea crapulam movet. Sic fit ut hactenus semper vigeat apud municipales nostros dictum illud Taciteanum de omnibus rebus Germanos tractare inter computationes : "tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat ... Postera die retractatur et salva utriusque temporis ratio est : deliberant dum fingere nesciunt, constituunt dum errare non possunt." (Tac. Germania 22,3-4).

Quid sussurret ventus in vico "La Crau"

Exeunte mense Augusto, nonnullos dies egi in vico "La Crau", in Provincia sito. Ibi enim habebantur "Feriae Latinae" a Domino Clemente Desessard ordinatae. Satis multi aderant participes e regionibus diversis oriundi qui inter se tantum Latine loquebantur.

Matutino tempore sessiones habebamus in aula magna ubi nonnulli e participibus aliquid miri nobis exhibuerunt vel explicaverunt. Exempli gratia, multa locuti sumus de Thoma Moro, cuius opera optime novit Andreas Bergère, et etiam de opere heroico Finnico "Kalevala" vocato, quod Tuomo Pekkanen miro modo in linguam Latinam vertit.

Postmeridiano tempore, alii phonocasetas Latinas auscultabant, alii paululum quiescebant. Ego per vicum "La Crau" ambulare malui. Sole calido, cum valde sitirem, in caupona quadam optime umbrata sedi et potionem sapidissimam quam Provinciae incolae libenter bibunt, "pastis" vulgo vocatam, imperavi. Non multi homines aderant quia, hora circiter tertia, fere omnes meridionales quiescere solent. Caupo, iam senex, ad me potionem flavam attulit et adversus me sedit. Tunc, senex paululum loquax mihi hanc fabulam narravit:

"Habitabat olim, cum puer essem, hic, in vico "La Crau", puella perpulchra, Mariella vocata. Cuius pater, homo ditissimus nomine Marius, dominus villae magnae erat. Vincentius, pauperrimi viminarii filius, qui cum patre laborabat et ex villis in villas fiscos venditum vel reficiendum ibat, apud Dominum Marium aliquando fuit et fortuito Mariellam vidit. Sagittis Cupidinis ictus, domum rediit.

Exeunte septimana, Dominico die, nundinae erant in urbe Nemausio. Vincentius cursu victoriam arripuit a viro quem omnes invincibilem putabant. Trophaeum habuit, Mariellae amoris causa.

Exeunte aestate, Vincentius iterum ad Dominum Marium iit, Mariellam vidit et ei trophaeum donum dedit. Puella gaudio exsultavit et osculum iuveni dedit. Postea, per totam oleitatem, Mariella Vincentiusque una laboraverunt et inter se amare coeperunt. Ante Vincentii discessum, Mariella ei dixit: 'Noli mei oblivisci, quaeso, credo te amare'. Promisit Vincentius sed contra dixit: 'Pauper sum et te uxorem ducere non possum'.

Post hiemem, tres iuvenes ad Marium venerunt et eius filliam uxorem ducendam petiverunt. Omnes tres erant pulchri, amabiles et satis divites sed Mariella ne uni quidem nubere volebat. Vincentium amabat et ei solum nubere cupiebat.

Marius valde iratus impedivit ne Mariella domo exiret. Sic Mariella Vincentium videre iam non potuit et per totum diem sola in conclavi lacrimabat.

Subito, ei in mentem venerunt ultima Vincentii verba: 'Si quando aliquid mali tibi accidit, ad Sanctas Marias propera; Sanctae te adjuvabunt...'

Itaque, nocte, Mariella aufugit et ad Sanctas iter fecit. Sed infeliciter iter longum erat et fastidiosum: noctes frigidae erant et dies nimis calidi. Tandem paene mortua in Sanctarum ecclesiam pervenit. Quo advenerant et eius parentes et Vincentius, qui meminerat ei hoc dedisse consilium. Mariella, quae hoc tantum sperabat, ut Vincentium ante mortem revideret, laeta extremum spiritum reddidit.

Et caupo addidit: "Sed Vincentii amore, Mariella adhuc vivit; ventus est Mariellae vox et noctis stella est signum Mariellae cui adhuc Vincentius est curae".

Estne haec fabula vera? Nescio. Sed ventum audivi et stellam vidi.

Nonne vult ventus et stella Latinitatis Vivae, quae etiam nostro amore adhuc vivit?

Diana LICOPPE

Societate Latina et Fundatione Melissa invitantibus,

THOMAS PEKKANEN

Helsinkiensis et Litterarum Latinarum academicus professor in Finnia,

Bruxellas veniet, ad acroasin publicam Latine faciendam
de recentissimo opere suo,

KALEVALA LATINA

inscripto,

die 14^o m. Martii a^o 1987^o, hora 18^a.

Acroasis fiet in aedibus

Communitatum Oeconomicarum Europaeorum.

Accessus dabitur tantum eis, qui personalem chartam invitationis in aditu monstrare poterunt. Chartae invitationis petendae sunt a sede Fundationis Melissa.

N.B. Auscultatris personalibus translatio simultanea in Francogallicum et Nederlandicum sermonem praebebitur eis, qui Latine non intellegunt.